

D I E S
VITÆ MAXIMA,

IN

Æquinoctio Autumnali
MERITIS ET VIRTUTIBUS

Perillustris olim Clarissimi & Admodum Reverendi

M. STANISLAI
MARKIEWICZ,

Sacrae Theologiae DOCTORIS & Pro-
fessoris, ejusdemq; Sacrae Facultatis DECANI,
Collegae Majoris, Ecclesiarum; Collegiatae S. FLO-
RIANI CUSTODIS, Cureloviensis SCHOLA-
STICI, SS. Omnium Crac: & Parochialis
Prossovicensis PRÆPOSITI, Scholarum
Novodvorscianarum & Contubernij Ge-
loniani PROVISORIS

EXORTA;

Dumq; ejus pijs manibus

justa parentalia in Ecclesia S. ANNÆ
non sine gravi mœrore
ab Ordinibus Academicis exsolverentur,

Lugubri pennâ

PER

M. CASIMIRUM STANISLAUM
PAŁASZOWSKI,

Philosophiae DOCTOREM, ejusdemq; Regium & Tylicianū Eloquentiae
Professorem, Collegam Majorē, Neolandecensē CANCELLARIUM,

DELINEATA.

ANNO DOMINI MDCCXXX. Die 25. Septembris.

CRACOVIAE Typis UNIVERSITATIS.

D I E S
VITÆ MAXIMA,
In Æquinoctio Autumnali
E X O R T A.

Vtinam ô Fata!

hominum rebus & hominibus iniqua,
saltim Astrorum Principi Soli
in contra delineretis ire.

Suo ille annuo Cursu
breviores sive longiores efficit dies,

Vos nullos.

Ille Superùm alta lege ordinatus,
Accessu suo in Hemisphærium, dies crescere cogit,
recessu decrescere,

Sed sine dispendio vitæ;

malignitas Fatorum,

cum luce Vitæ dies aufert, quos Titan affert,
extinguit, quos accendit.

Criticos dies

nonnisi aliquos studiosa annotavit solertia,
ex quibus boni maliq; aliquando ominis indicia.

Fausta Crisi

Lethifer morbus dat vitæ accrementum,
ubi ejus decrementum imminebat.

Fatis

BIBLIOTHECA
UNIV. SACELL.
CRADOVIENSIS

394206

III

Fatis nunquam non pessima Crisis,

Imò nec istam norunt,

Quia nullos calculant dies;

Tetram inhabitant caliginem,

noxq; illis perpetuò dormienda.

Quid vobis prodest mortales?

Solis aut Saturni

illustres vel aureos numerare dies,

facundos Mercurij vel benevolos Jovis

in æternantes fastos computare.

Fatis nulla non Martis dies cædibûs plena.

Vt jugulent homines, surgunt de nocte latrones,

At etiam claro meridie cades fatorum grassantur.

Noctem tererrimam ut unam habeat,

Cæca Lachesis est.

Pari atrocitatis impetu

facile in omnes ruit; delectûs ignara,

quia luminibûs orbata.

Æquo pulsat pede

Viles hominum casas, Regumq; folia.

Sceptri decus ligonibus æquat,

Subruit Urbes populosq;

Atterit laurus nescias fulmine tangi,

Turmas militum permiscet Cineri Ducum.

Dies

Nec Cræso fortunati, aut Polycrati candidi,

Nec aurei Saturno, aut Cæsari triumphales,

contra fatalem noctem profuere.

Sanè omnium est,
quòd Soles definant in umbras, dies in noctes.

Aliter tamen

Tuis meritis & virtutibus concessum

Perillustris olim Clarissime & Admodùm Reverende

**M. STANISLAE
MARKIEWICZ,**

Sacrae Theologiae DOCTOR & PROFESSOR, &c.

In Æquinoctio Autumnali,

Tuorum non decreseunt Annorum dies,
qui pro eorum accremento immortalis
totissimam vitam impendebas.

Vt penitus ignorares,
quid sit diminutio dierum?

ab æquinoctio verno, à Tuæ exortu vitæ
ad Solstitium gloriæ procedebas.

Florē tenerioris ætatis Tuæ,
in Virtutum fructus multiplicabilem
Parnasso Cracio commifisti.

Fugiunt alijs freno non remorante dies,

Currunt horæ, prætervolat ætas;

Tu alatum cùm noveris tempus,
ei promptitudinem ingenij opponebas.

Aptabas Te tempori,

& omne illius spatium in Tuos usus convertebas.

Vere

Vere amœnioris vitæ

Aurumabas maturitate Scholastici profectûs.

Æstate temperabas judiciô fervorem,

igniculîs eximiæ indolis,

hyemis algores fugabas.

Mane Tuum,

Meridies virtutum erat nullo vespere inumbrandus.

Dies Tui,

horis ut fluerent aureis,

eas pulvere implebas Scholastico

Gangeticis arenis potiore.

Sub Musarum Sole

nunquam visus es admittere noctes,

Lucis Phæbææ absentiam

Cleantheus supplebat lychnus.

Probavit dies laudabiles Pallas,

gloriosè in studio privato peractos,

in publico

Philosophicis laureis coronavit.

Laborum diebus adjunxit honoris diem,

pervigiles applicationis ferias

sine festo noluit esse,

quod ut Tibi solenne diceretur,

illi Tuô clarissimô ingeniô allucebas.

Elegeras nunquam non publicos vivere dies,

quos festivos

B

ut

ut ex Te Universitas haberet,
Semper festinus pro gloria ejus excurrerebas.

Quò pedē movisti Professor,
ubiq; Sol Academicus
sparsit diem meliore coma.

Primùm in Alba Ducali, demum Pinczoviensi præfuiti Coloniae,
utramq; pertinaci excoluisti labore.

Lithuanus Pogonia,
ut nosceret à gloriæ meta non errare,
Craciô Pegasô vestigia signabas.

Marchionales Alites,
Tuæ Minervæ prævolante Noctua,
facilius in culmine nidificabant.

Athenæi Pinczoviensis
Novus MECÆNAS & FVNDATOR

Illustrissimus olim & Excellentissimus

JOSEPHUS
MARCHIO
IN MIROW

GONZAGA
MYSZKOWSKI,
CASTELLANUS Sandomiriensis

æstimavit Tuos Colonienses labores,
eolq; Beneficiò in Stradow pensavit.
Vineæ Christi præesse voluit,
Sub quo Parnassum suum spectavit florentem.
In Cathedris sacris tonabas Pericles,
Sed Te & Scholasticæ poscebant.
Suasit publicus literarum amor,
ut continuares dies eruditos;
Nec obfuit Domum inhabitare Minorem,
Colossus in puteo magnitudinem non amittit,
Nanus in collo Gigantis Nanus.
Immortales non desinat implere fastos,
Ecclesiæ columna & adamantina basis
PETRVS TYLICIVS
EPISCOPUS Cracoviensis,
Liberalissima fundatione rarò Mecænatum exemplò
Fontes aperuit Tullianos,
qui Sarmaticos ut inundarent Campos,
eos Alma Vniversitas
in Tuum eloquium derivavit.
Haufisti tanti Fundatoris latices,
gemmasq; piscabaris, ut Eloquentiæ Candidatos ditares.

Domus Celsissimæ
SZEMBECIORVM

Gentilitijs ROSIS

In publico ad Cathedram Posnaniensem ingressu,

Illustrissimi Excellentissimi & Reverendissimi Domini,

**CHRISTOPHORI
ANTONIJ**

IN SLUPOW

SZEMBEK,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI protunc Posnaniensis
nunc Vladislaviensis,

Oratorios innectens flores,

Tuam quoq; gloriam immarcescibilem deduxisti.

Ex Panegyricis Operibus

quotquot pro Encomijs Magnorum Virorum luci exposuisti,
in omnibus stylus aureus animos legentium ditat.

Una Laborum Academicorum Provincia

Tenunquam capere visa.

Ad Comitia Regni legatione functus,

pro literarum Regno

egisti Mercurium & Cyneam disertissimum.

Facultatis Philosophicæ

DECANVS

ex Eurippo Aristotelico

urgebas lucidissimos oriri Soles,

ui ad portum scientificum omnibus præluxissent.

Theologus Professor

otô decenniô pro Doctorali laurea decertâsti.

di-

dignus omnino cujus emeritam frontem
non una Corymbus,

sed totus cingeret Academus.

Unaquæquè domestica publicaq; Disputatio
mille merebatur Coronas.

Antequam Doctor Theologus,
prius Magnificus R E C T O R,

Sceptra admisit in manus docto calamo assuetas.

In Purpura Rectorali ternis vicibus fulsit
perfectissimè negotijs Universitatis præluxit.

Neminem suo fulgore perstringens,
nisi forsitan quorum oculis
etiam lux solis amænissima gravis.

Classium Novodvorscianarum P R O V I S O R,
multis sæpe agitata procellis,
nunquam quassare permisit.

Confurgentes Euros & Aquilones
in placidos Zephiros & Favonios cogebat,
illis etiam faventissimus,
quos sibi non faventes aliquando expertus.

In Majores reverentiâ, in pares affectu,
in omnes affabilitate certavit.

Instat Major scribenda dies,
tot fastis perennibus digna,
quot pijs actibus adaucta.

Quanquam & sine testibus chartis
fama loquetur opus.

Beneficia non ideò tenuit,

ut sibi, sed ut illis beneficeret.

Divina Providentia accumulâte provētus,
qui non in profanos usus convertuntur.

Ob difficilem censuum pensionem
Contubernium Gelonianum
patentibûs parietum rimîs,
qui illud manebant calus, enarrabat.

Sua ne timeret rudera,
Inhabitantes ne terreret, tempestivè providit.

Studentium appetitus
ne solô Jagellonicô satiarentur Manipulô,
mensas aperuit Fūdatoribus conformes.

Stradoviensem Plebanatum dimisit,
sed non vacuum divite apparatu,
quem ei accumulâtè comparavit.

Prossovicensis Ecclesia

quòd novô sit stabilita murô,
largas STANISLAI impensas testatur,
quòd ædificijs adaucta,
ejus sollicitos fatetur labores.

SS. OO. Cracoviensis Præpositura
tardiùs ejus curæ accessit,

Ei tamen hoc intra breve tempus præstitit,
quod ab alijs intra annorum lustra non agnovit.

Diem certè se perdidisse ratus,
quâ in pietatis opem aliquid non præstaret.

In quævis Beneficia munificus,

in Sandecensem Cancellariatum longè munificētior.

Alter potiùs dicendus Fundator,
quia Prædiali forte Dotator.

Præter impositum Sacrificij munus,
ad messem gratitudinis
pro còemptis agris obligatus Successor,
qui ne egeret, egit liberaliter.

Hoc profectò unicum & singulare,

Diem vitæ maximam
in dierum decreſcenti habere,
agere quæ sunt æternitate digna.

Factis enim homines non annis vivunt.

Corporis ægritudinis preſſum
relevabant amici, tollebant Clientes,
etiam Viri Proceres solabantur.

Illuſtriſſimus & Excellentiffimus Dominus

ALEXANDER

IN SLUPOW

SZEMBEK,

Palatinus Siradiensis,

Capitaneus Becensis, Regni Senator,
Senatorum decus, Patriæ fulcrum & Præſidium,
ſuâ præſentiâ ROSISq; ſuis Gentilitijs

lævos inter morbi langvores
mæſtum non dedignatus recreare.

Omnes illi longiores vovebant dies,

Cz

at

at ipse sibi meliori non defuit voto.

In Æquinoctio Autumnali,
ultra quinquagenarius;
dum dies decrefcere folent,
maximam vitæ expertus diem,
quam meritîs, virtutibûs & laboribûs Academicîs
ita ampliare curavit,
ut efficeret foli æternitati parem.

Vixit sibi ad gloriam fatis,
licet Vniuerſitatis, Amicorum & Clientum non ſatis deſiderijs.
Verùm ampliffimos quos ei fata negarunt dies,
hos ſine numero

In Te boni Superi protendant,
imò de omniũ Tibi addat Jupiter annis,
qui omnium honorem geris,
Gentiſq; Togatæ ingens gloria & prima Maieſtas es,
Magnifice Perilluſtris & Reverendiſſime Domine,

**M. MARTINE
WALESZYNSKI,**

Sacrae Theologiae DOCTOR, & PROFESSOR,
Collega Major, Eccleſiarum; Cathedralis Cracoviensis CA-
NONICE, Parochialium, Montis S. GEORGII in Sce-
puſio & Præmykoviensis PRÆPOSITE, Contubernij
Hierofolymitani PROVISOR, Canonizationis
B. IOANNIS CANTII PROCVRATOR,
Librorum per Diæceſim Cracov: Ordinarie
CENSOR, Collegij Majoris Senior PA-
TER, Studij Generalis Vniuerſitatis Cra-
coviensis PROCANCELLARIE
& Vigilantiſſime R E C T O R.

Quem

Quem non adeò pridem Theologicis coronasti laureis,
Adhuc & post Fata,
ut esset contra suas sortes à fulmine tutus,
Protectorem Testamenti rogavit.
Diem maximam ne decrescere sibi patiatur,
Vobis ultimis Tabulis augendam commisit,
Præstites integerrimi.

Perillustri Clarissime & Admodum Reverende Domine

**M. P E T R E
S Z Y M A K O W S K I,**

Sacrae Theologiae ejusq; Cursus Speculativi PROFESSOR, Collega
Major, Ecclesiae S. FLORIANI CANONICE, Scholarum Novo-
duorficianarum VICEPROVISOR.

Nulla Vobis dies sine linea erat,
quâ reciprocum in Vos non protenderetis affectum.

Illius sensus, Tuus erat,
Tua negotia semper ad mentem ejus.
Alter alterius implebat vices,
Cognitu difficiles,
Tuone, an Ejus spiritu agebantur?
Gradu distincti non animò vivebatis.
Festus quoque illi aderat dies,
quò ejus adhæseras cordi

Perillustri Clarissime & Admodum Reverende Domine

**M. S T A N I S L A E
F I L I P O W I T Z,**

Sacrae Theologiae PROFESSOR, Collega Major, Ecclesiae S.
FLORIANI CANONICE, S. GEORGIJ in Arce Cracov:
CUSTOS, Geometra Jurate.

Non Nominis tantum Etymologiã
Vobiscum erat in rebus agendis conventia,

D

Tuam

Tuam in Te Astrorum peritiam æstimavit,
ac de suarũ eventu rerum Tecum sæpius consultabat,

Non ideò, quòd alienò egeret consiliò,
Sed quòd illi Tuus semper placeret sensus.

Vnus in utroq; Vestrũm erat,
uni quòd mortuo non deeritis,
probavit vivus.

Nec à Te suas Tabulas removit,

Cui nunquam non intimus eras,

Clarissime & Excellentissime Domine,

**M. ALBERTE
PLACZKOWSKI,**

Philosophiæ Doctor & Professor, Collega Minor.

In regimine Contubernij Senior.

Pendebas à nutibus PROVISORIS,

In Te Paterno affectu propensissimi.

Sive Lublini Contubernalibus, alijsq; invigilabas Causis,

Sive Classisticis attendebas laboribus,

Ille pro Tuo successu & ascensu Argus erat.

Proch dolor!

Clausit in æternam lumina noctem,

Vos Agite

Quos voluntatis suæ Interpretes voluit esse,

quod de Vestro munere

ad serenum immortalitatis gloriæ spectat.

Charitativo labori Vestro

Amicorum, Clientum, Omniumq; Academicorum Ordinum

pietissima cooperantur suspiria

ut in luce æterna

retineat Vitæ maximam Diem.



7.21x.20.